



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

Fierlant, Simon de

Coloniæ Agrippinæ

De statu integritatis & naturæ puræ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37059

ET INFELIX CONCORDIA. 297

297

Fluit 3. prima Propositio in eodem damnata : aliqua Dei
præcepta hominibus justis volentibus & conantibus , secundum
præsentes , quas habent , vires sunt impossibila , deest quoque
illis gratia , quæ possibilia fiant : nam qui non obseruat præ-
ceptum non habet gratiam naturæ lapsæ , si enim hanc
haberet , cum hæc inferat ipsum velle , utique observaret
præceptum , atqui tamen sine illa gratia impossibile est , ut
præceptum observet , ergo &c.

De statu integratis & natura pura.

IN hac materia variae Propositiones Bajanæ damnatae sunt à tribus Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. inter alias hæc 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Hujus damnatae hæc est contradictoria *integritas prima creationis fuit indebita humanæ naturæ exaltatio & non naturalis ejus conditio ergo qui hanc contradictoriam negat, impingit in damnatam;* sed negat hanc Macarius dum in Tyroci. pag. 224. adstruit impossibilitatem naturæ puræ seu integræ, nam si integritas humanæ naturæ indebita est, si non est naturalis conditio, ut habet contradictoria damnatae, cur amabo ab omnipotenti Deo condi humana natura non possit sine eo, quod nec naturale sibi est, nec debitum? quod si creari talis non potest, ut vult Macarius, naturalis pro-

fectò ea sit conditio , & non indebita humanæ naturæ exaltatio necesse est : atque en damnatam.

At non abhorret Macarius ; nam illud sustinet in Tyrocinio pag. 159. quod quædam ex propositionibus vulgo Bajanis in rigore sint veræ , & ut ajunt Pontifices in illa Bulla, non nullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore , & proprio verborum sensu . Periculosa doctrina, quæ & Bullas Pontificias eludat , & ad Bajanis promiscue docendas laxissimam viam aperiat ; cæterum vetus hæc lis de famoso illo commate , seu distinctiva virgula , videri potest in speciminibus parte 2. c. i. §. 4. per totum.

De Charitate.

BAjanizant hic multipliciter Gummarus & Macarius : proscriptæ sunt , hæc 33. omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas , quæ mundus diligitur , quæ à Ioanne prohibetur , aut laudabilis illa caritas , quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur . Et hæc 16. non est vera legis obedientia , quæ fit sine caritate : utramque sustinent ac tacentur pro viribus ; & primam quidem Macarius in Thesibus 9. & 10. Maii 1675. *Vel casto amore nos sursum ferri , vel damnabili cupiditate deorsum deprimi , est necessum.* Et pluribus in Tyrocin. à pag. 171. & præsertim pag. 175. de caritate & cupiditate , ita loquitur *Hi duo fontes , quasi duæ reginæ sunt , dividentes inter se bonum*